



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. VIII. Hortatur ad obedientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

Patris mei, & satiabuntur ab vberibus
consolationis meæ.

CAP. VIII.

Hortatur ad obedientiam.

FILII dilectissimi, si vultis in mari
magno, cuius fluctus ascendunt vs-
que ad cælos, & descendunt vsque ad a-
byssos, securè nauigare, imitamini me:
qui cum essem filius Dei, didici ex ijs,
quæ passus fui, obediētiam, & per obe-
dientiam cōsummatus, factus sum om-
nibus obtemperantibus mihi causa sa-
lutis æternæ. Bonum est viro, cum por-
tauerit, iugum ab adolescentia sua. Si
enim alijs, qui repræsentant personam
meam, obedire assuescat, proprii iudi-
cij, & propriæ voluntatis, qua ciuitas
Babylonis ædificatur, pericula vitabit,
& sub vmbra alarum mearum, ab æstu
mūdi requiescet. Non ei nocebunt ca-
ruli leonū rugiētes vt rapiāt, & quærāt
à Deo escā sibi. Ego quippe sū custos fi-
delissimus eorū, qui intellectū, & vo-
lūtatem mihi obediētix sacrificio im-
molāt, est enim holocaustum adipe, &
pinguedine plenū in odorē suauissimū
Patri meo. Væ illis, qui subesse nolunt,
& pro-

& proprio iudicio omnia metiri volūt; qui lōgè recesserūt à māsuetudine disciplinæ meæ. Cæci sunt, & seipsoſ præcipitabūt: cogitationes enim mortaliū timidæ, & incertæ ipſorū prouidentię sunt: neque valent ea mala vitare, quæ non valent à longè prospicere. Luciferi discipuli fiunt: & dum maioribus non acquiescunt, ad similitudinē Idololatrarū peccant: quippe quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Vos autem filij, inclinate aurem vestram, in verba oris mei: & ijs, quos ego vobis præposui, fideliter quasi mihi ipsi obtemperate. Hæc est magna pars prudentiæ Iustorum, qui consilio meo regi desiderant. Hæc est omnis Religiosorū iustitia, sapientia, & fortitudo. Hæc est via ligni vitæ, quam Cherubim flammeo, & versatili gladio clauferunt. Ite ergo, filij & conficite viam hanc: vt sicut ego factus obediens vsque ad mortem, obedientię remuneratione Iesus vocor, & glorificor; ita & vos ad formosissimam gloriæ lucem, per obedientiam resurgatis.

CAP.